

II. Ex jure canonico Cap. *Ne Romani*, inter Clementinas de *Elect.*, statuitur, ut Sancta Sede vacante, Collegium Cardinalium nullas ferat leges, quae obligent totam Ecclesiam "irritum aut inanè decernentes, ait Pontifex, quidquid potestatis, "aut jurisdictionis ad summum Pontificem pertinentis, cœtus ille duxerit exercendum."

III. Certum est Patriarchas, Primates, Archiepiscopos non posse statuta et leges condere, relativè ad provinciam cui præsunt, et extra propriæ diœcesis limites. Ratio est quia hæc dignitates, quatenus superiores sunt Episcopis, omnino sunt de Jure humano ecclesiastico, ac proinde ea tantum possunt quæ specialiter ipsis concessa sunt; porrò nedum id ipsis concedat Jus, expressè e contra denegat; et eo sensu intelligitur Caput *Salvo*, IX, q. 3 (1).

IV. Vicarii Episcoporum nunquam suo nomine statuta decernunt; unam personam moralem cum Episcopo faciunt: undè si quid fortè absente Episcopo decernant, id non faciunt nisi de jussu expresso Episcopi, et ejus nomine.

V. Dubium moveri potest de Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, quatenus Sede vacante ad ipsum devolvitur administratio diœcesis; cui tamen intra paucos dies tenetur præficere Vicarios capitulares, et suo loco dicetur. Negant plures a Capitulo aut ejus Vicariis posse decerni ullam legem quæ sit stabilis et permanens, quia jurisdictione, quæ ipsi committitur per accidens tantum et ad breve tempus, non valet nisi ad conservandum, non ad immutandum vel ad innovandum. Probat ex titulo juris, *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, et præsertim Capite *Novit*. I, hujuscemodi tituli (2). Atqui leges novas ferre, vel leges ab Episcopis positas abrogare, esset magna innovatio. Ergo etc.

Nihilominus communis est et probabilior sententia, ait Suares, Capitulum habere facultatem legislativam. Nam Capitulo devolvitur *administratio in spiritu libus et in temporalibus* (ut dicit cap. *Si Episcopus* 3, de *Supplenda*, in 6; vide infra n. 392). Atqui hæc jura innuunt Capitulum posse quantum ad Disciplinam, quæcumque potest Episcopus. Præterea possunt occurtere illæ necessitates, quæ postulent aliquam legem: v. g. si prava aliqua consuetudo sit eradicanda; si prævideatur sedem diu vacaturam, etc. Nihil præterea hæc facultas Capitulo concessa Episcopo futuro præjudicat, si quidem facilè revocabit quodcumque ipsi non placuerit. Ita Suares (de Leg. c. IV, c. 6). Fatetur tamen idem auctor in hac re servandam esse consuetudinem, quæ potest restringere jurisdictionem.

VI. Circa facultatem quæm habent Capitula, aliaque collegia ecclesiastica in propria membra, hoc primo notamus: Olim multa erant Capitula, quæ et a jurisdictione episcopali se *exempta* esse contendebant, et sibi *ordinarie jurisdictionis*

(1) "Salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, metropolitanus absque cæterorum omnium comprovincialium instantia, aliquorum audiat causas; quia irritæ erunt aliter actæ." Canon iste falso quidem Hygino adscriptus est, sed probat disciplinam quæ in Ecclesia viget.

(2) Innocent. III. scribepat conventui Glastoniensi in Anglia: "Novit ille qui scrutator est cordium, quod, licet prædecessor noster Ecclesiam vestram exeret in cathedralem, ipsam uniendo Ecclesiam Bathoniensi, ut idem esset Episcopus utriusque; quia tamen hæc unio asserbatur in grave præjudicium Glaston. Ecclesiæ redundare; nos ad relevandum Ecclesiæ vestræ statum cœpimus intendere diligenter. . . . Vos autem, post obitum Bathoniensis Episcopi humiliter postulastis, ut quia tempus advenerat quo sine scandalo Ecclesiæ vestræ ruina poterat relaxari, ea unione penitus dissoluta, monasterium vestrum reduceremus in statum antiquum sub abbatis regimine gubernandum. Attendentes igitur quod *episcopali sede vacante*, "non debet aliquid innovari, cum non sit qui episcopale jus tuatur. . . . petitionem vestram ne quivimus exaudire, indulgentes, ut cum Bathoniensis Ecclesiæ de præsule fuerit ordinata, jus vestrum apud Sedem Apostolicam, prosequendi facultatem liberam habeatis."

facultates arrogabant, sive in membra sua, sive in loca quæ ab ipsis pendeant; undè sibi competere dicebant facultatem decernendi, mandata edicendi, statuendi, etc.: undè graves sèpissimè oriebantur discordiæ inter ista capitula et locorum Episcopos (1).

Videndum igitur quid secundum jus commune, seu independenter ab antiquatis privilegiis valeant Capitula. Porro communior est sententia non posse ab eis fieri leges propriæ dictas, nec ulla *statuta* condere independenter ab Episcopi approbatione: lex enim non potest decerni nisi ab eo qui jurisdictionem habet. Sunt tamen aliqua minoris momenti, quæ potius spectant ad œconomiam, seu politiam, et rectam ordinationem suæ Ecclesiæ, circa quæ possunt *capitulariter pacisci* canonici; modo tamen *Episcopus, cuius jurisdictioni subsunt*, non obsistat. Ita fere Suares, de *Legibus*, l. IV, c. 6, n. 20.

Eadem principia erant applicanda Collegii, societatibus diversi generis, quæ olim existebant.

VII. In pluribus ordinibus religiosis propriæ dictis substituit *jurisdictionis* spirituialis propriæ dicta, imò *jurisdictionis ordinaria*. Conceditur quoque potestas legislativa sub certis conditionibus, secundum ordinum singulorum statuta. Plerumque leges non possunt decerni nisi in congregatione, seu capitulo generali, interdum provinciali: de his capitulis decernit caput in singulis 7, de *statu Monachorum*.

§ II.

QUESTIO SECUNDA.

Quæres quid possint statuere Episcopi?

R. Ex eis quæ ab Episcopis decernuntur, supponere possumus quædam esse secundum *Jus commune*, quando scilicet ea, quæ generalibus Ecclesiæ legibus sunt præcepta prohibitive, eodem modo inculcant et urgent; alia *contra Jus commune*, si quando ea prohiberent, quæ expressè sunt concessa communibus Ecclesiæ legibus, aut vicissim prohibita concederent; alia *præter Jus commune*, quando ea præcipiunt aut prohibeant, quæ non attingunt leges generales.

I. Quæ sunt secundum *jus statuta*, difficultatem non habent: Episcoporum enim munus est earum legum observationi invigilare; et qui non obtemperant, non solum in suum prælatum, sed et in omnem Ecclesiam, rebelles existunt. Porro tunc secundum legem imperant, quando circumstantias determinant in quibus lex adimplenda est.

II. Si qua ferrentur *contra Jus statuta*, etiam sub boni præmovendi colore, ea nullius esse roboris omnino dicendum est; quod non solum de jure scripto intelligi debet, sed de consuetudinibus quæ vim legis habere censentur aut in tota Ecclesia, aut etiam in regno, in provincia. Nam, ut dicit Innoc. III "sacerdotes tibi diœcesana lege subditos, qui ad tuam Synodus venire contemnunt, dummodò in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum quod canonicis obviet institutis, per centuras ecclesiasticas ad Synodus venire compellas, et debitam tibi obedientiam et reverentiam exhibere." Sic etiam Pius VI in Bulla: *Auctorem fidei*, n. 7. "Doctorina Synodi (Pistorianæ), in eo quod hortatur Episcopam ad prosequendam narratorem ecclesiastice discipline constitutionem, idque contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservations quæ adversantur bono ordini diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi fideliūm;—per id quod supponit Episcopo

(1) Vide notam XVII ad prolegomena.

"fas esse, proprio suo iudicio et arbitratu, statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam quae in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchice potestatis, a qua inductae sunt aut probatae et vim legis habent—inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis erronea."

Multa exempla subministrat Bened. XIV (*De Synodo*, lib. XII) constitutionum episcopaliū, quae ob eam rationem vi carere declarantur. Sic, cum eae solae irregularitates agnoscendae sint, quae a Jure decernuntur, immerito aliquis Episcopus eum esse irregularem statuebat, qui contempta censura ad superiorem ordinem ascendere præsumeret. Pariter quia nulla alia admitti possunt matrimonii dirimentia impedimenta, quam ea quae Jure communi decernuntur, non potest Episcopus nova instituere. Hinc, cum apud Ruthenos (los russos) non promulgatum fuisse decretum Concilii Trid. circa matrimonia clandestina; cumque, anno 1626, existimasset Arch. Kioiensis illud idem decretum, nulla facta Concilii mentione, sed suo nomine promulgandum, Romana Congregatio Concilii pronuntiavit constitutionem illam vi carere, aliaque remedia esse providenda.

Observationes alias Bened. XIV de eadem materia anneximus: "Tales, inquit (lib. XII, c. 8), quandoque emergunt rerum circumstantiae a Jure communi non prævisæ, ut ex quadam epikeia, seu tacita ipsiusmet juris permissione, liceat Episcopo Jus commune relaxare, seu aliiquid contra ejusdem severitatem indulgere, præsertim si res dilationem non patiatur, nec facilè Summus Pontifex consuli queat, ejusque summa auctoritas implorari.... Non idē tamen fas erit Episcopo hanc facultatem ex juris indulgentia sibi competentem.... quodammodo ostentare, edicendo scilicet per modum universalis statuti, quod solum in aliquo specialissimo casu est sibi permisum."

III. *Præter Jus commune*, id est, circa eas materias quas prætermisit lex generalis, potest statuta condere Episcopus; quæcumque ad Disciplinam reparandam et promovendam ipsi videbuntur expedire, sive præcipiendo, sive prohibendo, sive pœnas decernendo; et ex eis statutis conflatur jus diœcesi proprium.

Merito tamen observat doctissimus Pontifex pluribus de causis nutare posse constitutiones Episcoporum. Fieri enim potest ut vel *noritatis*, vel nimis *severitatis* notam mereantur." "Quemadmodum, inquit (lib. XI, c. 4) prudenter seget Episcopus in id incumbens ut pristina Disciplina, quam præfocavit abusus, in sua diœcesi revirescat; ita imprudenter agit qui mores in eam inducere tentat aut nunquam receptos, aut ex rationabili causa postea obsoletos, præcipue si res ejusmodi respiciant, in quibus mutatio fieri potuit sine ullo Ecclesiæ dispendio et purioris ethices jactura." Et cap. 5. "Peculiarum quoque consuetudinum, quae ab antiquo tempore in diœcesi et regione acceptæ, et justis de causis toleratae aut approbatæ dignoscuntur, æquum est ab Episcopo rationem haberi ne in constitutionibus Synodalibus adversus eas imprudenter insurgens, novatoris nomen sibi merito acquirat." Exempla adducuntur ex more, alicubi vigente, vescendi carnis die Sabbati, ovis, lacticiniis quibusdam avibus diebus jejunii, etc. Item ostendit et moderatæ inurendas esse censuras, illas præsertim quae dicuntur latæ sententiae.

At, quantumvis haec vera sint, summè cavendum est ne leviter subditæ statuta præsulis sui vituperent. Nihil enim dici potest obedientiæ quam promittunt sacerdotes magis adversum. Plures Synodales constitutiones, ut observat Ben. XIV, *de Synodo*, lib. XI, sunt in invidiam adductæ falsa criminatione nimis severitatis, quae tamen expensæ ad Sacrorum Canonum normam, deprehensæ sunt

eorum rigorem potius temperasse. Et verò impossibile est, ut certa et eadem ubique præscribatur norma; cum totum pendeat a locorum et temporum circumstantiis, quas perpendere ad Episcoporum prudentiam pertinet. Contingere potest, ut res, quae in se spectata levis esse videtur, gravis tamen agnoscatur, si circumstantiae perpendantur, et si consideretur periculum ne abusus qui ab uno vel altero in diœcesim induci cœpit, nisi statim præfocetur, totam paulatim comunitatem contaminet. Quoad *noritatem* verò "experiencia diurna compertum est, Episcoporum constitutiones hoc nomine plerumque traduci, quod receptis populi moribus aduersentur, atque invisam novitatem in diœcesim inducant: verum cum eadem æqua lance librantur, maximè conformes deprehenduntur sanctissimis Ecclesiæ statutis, quorum memoriam oblitteravit prava consuetudo, quæ præcedentium Episcoporum socordia aut aliter in diœcesim irrepsit, et tam altas egit radices, ut pro lege haberi cœperit, quæ legis prævaricatio est. (Cap. *Mala* 3, "D. VIII). Nunquam rationabiles esse posunt eae consuetudines, quæ præcipuas labefactant leges quibus ecclesiasticae disciplinæ nervus contineatur.... has consuetudines eradicas dicimus, spretis improborum hominum querelis. (lic. XI, "c. 1)."

Hic in exemplum adducit Ben. XIV S. Caroli tres constitutiones, qui, non obstante inveterata consuetudine, edixit a cibis vettiis abstinendum esse prima Dominica Quadragesimæ; dierum Festorum celebrationem, nullo spectaculorum, saltationum aut ludorum genere violandam; diversas stationes in templis constitui, in quibus viri a feminis separati orent. Porrò quamvis tunc temporis sub *noritatis* prætextu has constitutiones impugnaverint turbulenti homines, imò quidam Theologi; eas tamen Gregor. XIII ut priscis Ecclesiæ institutis omnino congruentes comprobavit. Quod etiam dicendum est de alio decreto concil. mediol. I quo prohibetur ne sine Episcopi licentia, cum clericis habitet ulla femina, etiam quovis sanguinis affinitatis vinculo conjuncta.

Si quod verò circa hujusmodi materias exsurgat dubium, pro Episcopo stat præsumptio; siquidem ille solus potest de præcepti utilitate rectè judicare, qui totam diœcesim uno intuitu complectitur, multaque novit, quæ necessariò privatos fugiunt.

Fortassis in certis casibus extraordinariis, res deferri potest ad metropolitanum; sive curiæ civiles ipsæ aliquando judicaverunt. Posset etiam a Romano Pontifice remedium implorari qui paternè saltem posset Episcopum monere. At verò ob interpositam appellationem ad superiorem, nullatenus statuti vis retardatur aut suspenditur, nisi esset evidenter injustum, ex ipso iudicio prudentum; in quo timenda est hallucinatio et diffidendum a præsumptione et spiritu contumacie; idque Jure canonico pluribus in locis inculcatur (cap. *Ad nostram*, 3 de *Appellat.* Conc. Trid. Sess. 21, c. 8). Unde debet inter ea statutum observari, si instet Episcopus (v. Bened. XIV, *de Synodo* lib. XIII, cap. 4.)

§ III.

QUESTIO TERTIA.

Quæres quæ conditiones seu circumstantiae requirantur ut statuta Episcoporum firmitatem obtineant, et conscientiam ligent?

R. De his conditionibus dubium moveri posset: 1.º An requiratur presbyterorum in Synodo convocatorum consensus. 2.º An valeat statutorum facta.

extra Synodum promulgatio; et qualis promulgatio sufficiat. 3.º An requiratur consensus aut saltem consultatio Capituli; aliorumve. 4.º An requiratur approbatio Summi Pontificis?

Verum antequam haec omnia expendamus, nobis necessariò prestanta videtur accurata Synodi dicecesanæ notio; et breviter explicanda quæque ad eam debite tenendam spectant.

Notiones præviae circa Synodos, earumque actus et jura. Synodus dicecesana definitur legitima congregatio, ab Episcopo coacta, ex presbyteris et clericis suæ diœsesis, aliisve qui ad eam accedere tenentur, ut de his omnibus tractetur, quæ spectant ad curam pastoralem. Hanc definitionem approbat Bened. XIV, de *Syn.* lib. I, c. 1; quomodo sit intelligenda patebit ex dicendis.

Dicitur 1.º congregatio ab Episcopo coacta. Nomine autem *Episcopi* hic intelliguntur etiam qui ejus vicem tenent, ut, eo absente et consentiente Vicarii generales. An autem sine restrictione id valeant, qui post decepsum Episcopi diœcessim administrant, Vicarii Capitulares, non liquet. Si enim usus invaluerit non haberi annuatim Synodos, negant multi posse Vicarium Capituli Synodum congregare, probantque ex titulo IX, lib. III, Decretal. *Ne sede vacante aliquid innovetur.* Si verò annuatim habeatur Synodus, non potest Vicarius Capitularis nisi post annum ab ultima revolutum. (V. Bened. XIV, lib. II, c. 7. et Confér. d'Angers sur les Synodes, p. 66, etc.)

Archiepiscopo prohibetur, autem pallium acceptum, Synodum convocare; ut alibi dicemus.

Dicitur 2.º coacta e presbyteris aliisre qui ad eam accedere tenentur. Quandoque contingit e solis presbyteris aliqua prerogativa dignitatis insignitis congregatas fuisse Synodos diœsesanas, v. g. archipresbyteris, decanis (V. Confér. d'Angers, Synodes, p. 84). At communiter haec regula concil. trid. observatur. "Ratione parochialium aut aliarum secularium ecclesiarum, etiam annexarum, debent ii qui curam illarum habent, quicumque illi sint, Synodo interesse." (Sess. XXIV, de ref., c. 2). Communiter etiam convocatur ad Synodos Capitulum ecclesiæ cathedralis, ita ut vel *capitulariter* et *collegialiter*, id est, tanquam unum corpus, vel saltem per aliquot e gremio Capituli deputatos obstringatur assistere. Cæteri presbyteri, imò et simplices clerici possunt interesse, si Episcopo libuerit.

Primum locum in Synodo, ordine sedendi, post Vicarios Episcopi, obtinet Capitulum cathedralē; deinde Parochi, qui in cæteros aliquam jurisdictionem habent, ut archipresbyteri et decani; inter parochos simplices, ille præcedit, qui prius parochia præfector est; postea cæteri secundum gradum Ordinis aut tempus Ordinationis. Omnes vestibus chori communiter indui præcipiuntur, saltem quoad sessiones solemnes quæ fuent in ecclesia; at diverso modo: nam quibusdam in Synodo videtur stola omnibus presbyteris concessa (vide Thomassin II, l. III, c. 75); alibi videtur decanis reservata (ibidem); plerumque omnibus parochis concedebatur. (Confér. d'Angers sur les Synodes, p. 114).

Dicimus 3.º in qua de his quæ spectant ad curam pastoralem agendum et liberandum est. Proprium enim objectum Synodorum est de his omnibus tractare, quæ spectant ad reformationem morum, disciplinæ instaurationem, fidei et pie-tatis incrementum. At pro temporum et locorum diversitate varius fuit in Synodo agendi et deliberandi modus; nec eadem semper objecta.

Primit temporibus, in Synodo, Episcopus conciliorum provincialium decreta promulgabat; sacerdotes sui regiminis rationem reddebat; omnium clericorum mores accurato examini subjiciebantur; quod scrutinium vocatum est. Postea

usus voluit ut in Synodo solveretur Episcopo jus *cathedralicum*; quo nomine intelligebatur oblatio quam prælato pro honore cathedralæ suæ præstare tenebantur sacerdotes. Djudicabantur quasi in senatu causæ clericorum, dirimebanturque lites, aut saltem eligebantur judges synodales, quibus ea judiciorum cura demandabatur. Nominabantur item testes synodales qui dicecesim perlustrantes corrigenda observarent: examinatores etiam *synodales* eligi voluit Concilium Trid. qui ad Ordines vel beneficia provehendos examini subjicerent: piæ etiam cæremonia plures, missa solemnis, processio, litanie agebantur.

Constat olim frequenter in Synodis expeditam fuisse sacerdotum sententiam, datumque ipsis adeo suffragium *consultivum*. Imò vetus Ordo Romanus Pontificali insertus, loquens de agendis in Synodo, addit, quo finito, legantur *constitutiones per Synodum approbandæ, quibus lectis, habito scrutinio, quæ placent per Patres confirmantur.* Indè usus quibusdam in regionibus, Italia, Hispania, (non verò in Galliis) invalidit, ut eorum qui adsunt exquiratur consensus per verbum *placet a singulis exhibendus.* At constat nihilominus suffragium quod dicitur *decisivum*, ita nempè ut a pluralitate suffragiorum pendeat vis decreti, nullatenus esse Synodo dicecesanæ tribuendum; imò suffragium *consultivum* ipsi nulla lege attribui, sed ab Episcopi voluntate rem totam pendere, ut mox probabitur.

Ex hac Synodi expositione liquet, aliquam revera analogiam cum ea habere spiritales illos secessus qui nunc fuent a sacerdotibus diœsesis in unum congregatis, non esse tamen rem eamdem; si quidem istæ piæ exercitationes natura sua potius diriguntur ad renovationem internam quæ ad discipline externe instaurationem. Facile autem est Synodi specie eas concludere, ut fit in pluribus locis.

Primis seculis, Synodos bis singulis annis fuisse celebratas volunt multi eruditii. Concil. Lateran. IV. an. 1215, eas annuatim celebrari supponit; hanc disciplinam instaurare tentaverunt Concil. Basilæense, et præsertim Tridentinum, a quo celebrationem annuam Synodorum in decretis reponi gallici oratores expetierunt. Multis tamen de causis ab hoc tempore rariores evasere Synodi, præsertim in Galliis, quia, ut supponit Van-Espen, (tit. 19, c. 5, n. 19) pluribus in locis exortæ sunt controversie ratione exemptionum quas pretendebant Capitula et Regulae; alibi obstiterunt laici executioni ordinationum Synodalium etc.

§ IV.

1.º AN SYNODI DICECESANÆ ASSENSUS REQUIRATUR, UT STATUTA EPISCOPALIA OBLIGENT.

Quantum ad Synodi assensum, patet apertissimè statuta episcopalia promulgari in hoc solemni sacerdotum consesso; legemque eo majorem obtinere firmitatem, quod, nullo reclamante, aut paucorum réclamatione contempta, publicè a clero diœsesis cum plena obedientia et reverentia accipiatur. At temerè omnino quidam contendere ausi sunt, non habere robur statuta in Synodo proposita sine libertate decisionis et sine approbatione Synodi. Hanc opinionem, ut vidimus n. 8, Pius VI, ut falsam, temerariam, hæresi faventem damnavit. Et sanè evanescit ea divinitus accepta jurisdictione Episcoporum, si pendeant eorum leges a consensu sacerdotum. Hanc Episcoporum auctoritatem plures agnovere tribunalia Gallæ, licet jurisdictioni prælatorum minus faventia; de qua re videre est collectionem cui titulus: *Mémoires du Clergé*, t. XIV, p. 1616, et Confér. d'Angers sur les Syn. p. 273.

Hinc sèpè Congregatio Romana Concilii Tridentini interpres, interrogata, utrum requireretur saltem Jure ecclesiastico approbatio sacerdotum, constanter respondit negative, non obstante quod in forma *Pontificalis Romani pro celebranda Synodo diocesana expresse habeatur, ut constitutiones promulgandæ per verbum PLACET approbentur.* (Confér. d'Angers, *Synodes*, p. 363, t. I, p. 128).

Hinc etiam, ut rectè observat Fleury, (Instit. II, p. 2) differunt Synodi diocesanæ a conciliis, in quibus, præside Metropolita, omnes Episcopi sunt judices, et ipse Metropolita concilii auctoritate est inferior.

Hinc quoque, ut fer constans usus, statuta synodalia solius Episcopi nomine promulgantur, et eadem potest pro arbitrio Episcopus abrogare aut immutare.

Quinimò nec etiam suffragium *consultorum* sacerdotibus deferre tenentur Episcopi etiam in Synodo congregatis, quamvis fateamur id sèpè et cum maxima utilitate factum fuisse. Nam, ut jam dicemus, *etiam sine ulla Synodo* potest Episcopus de cœlo sancire; quod plus est quām in Synodo eadem promulgare; ergo iudicio Episcopi res relinquuntur; et eæ possunt evenire circumstantiae in quibus vetabit prudentia ne plurimorum expetatur sententia.

§ V.

2. AN PROMULGATIO EXTRA SYNODUM SUFFICIAT?

Episcopi possunt absque Synodo statuta condere. Est contra quosdam minus probatos auctores, qui contendunt Episcopos posse quidem, absque Synodo, urgenti necessitatì providere, et mandatis specialibus aliquid vel præcipere vel prohibere; non posse verò statuta permanentia condere, eisque vim legis propriæ dictæ tribuere; ut vult in primis auctor libri: *Les droits du second ordre*, etc. Nam ille potest sine Synodo leges condere, qui proprio nomine jurisdictionem exercet in omni diocesi, tum in fideles, tum in ipsos sacerdotes, qui *positus est regere Ecclesiam Dei*, ad quem pertinet omnis diocesis gubernatio; atqui tales esse Episcorum prærogativas Traditio tota declarat, ut passim probant Theologi. Ergo etc.

Qualis autem debeat esse illa promulgatio extra Synodum? "Certum est, ait Bened. XIV, ad legis substantiam pertinere eam promulgationem, qua ad totius "communitatis notitiam pérvenire queat.... Modus autem non est speciatim a Ju- "re præfinitus."

"Facta porrò synodalium constitutionum promulgatione, nullius temporis de- "terminatum spatum interfluere necesse est, ut obligationem inducant; sed statim "unumquemque ligant qui earumdem notitiam quoquomodo habuerit.

§ VI.

AN ASSENSUS, AN SALTEM CONSILII CAPITULI REQUIRATUR UT VALEANT STATUTA EPISCOPORUM?

"Non negamus, ait Ben. XIV, (*de Synodo*, lib. XII, c. 1) consuevisse, imò et "quandoque in rebus gravioris momenti debuisse etiam Episcopos, priusquam quid- "quam decernerent, inferiorum presbyterorum consilium et sententiam exquirere "ut tali pacto majus pondus majoremque auctoritatem suis decretis conciliarent." Quid probat doctissimus Pontifex pluribus canonum patrumque testimoniis, v. g. quod sacerdotes dicuntur *senatus* Episcopi ab Hieronymo, et Origine, etc. Etenim observat, "aucto in qualibet diocesi sacerdotum numero, ques in unum conveca-

"re difficilè foret, indè factum esse, ut soli Canonici ecclesiæ cathedralis sint consi- "liarii nati Episcoporum."

Tenenturne igitur Episcopi expetere et sequi consilium Capituli?

I. Affirmat Ben. XIV, eodem loco, non licere Episcopo aliquod gravis momenti negotium aggredi et deliberare *inconsulto* Capitulo; quod probat c. *Quanto, 5, de his quæ fiunt prælato sine consensu.* "Mandamus quatenus in concessionibus, "et confirmationibus, et aliis Ecclesiæ tuæ negotiis fratres tuos requiras, et cum "eorum consilio, vel sanioris partis, eadem peragas et pertractes; et quæ statuen- "da sunt statuas, et errata corrigas, et evellenda dissipes." Unde concludit, constitutiones inconsulto Capitulo editas, ut pote deficiente a norma Jure præscripta, carere firmitate.

II. At simul observat: "Licit Episcopus teneatur sui Capituli consilium exqui- "rere, non propterea tenetur illud sequi, nisi in casibus a Jure expressis. Latum "siquidem est discrimen inter *consilium* et *consensum*. Ubi enim jura Capituli "consensum exposcent, illud facere tenetur, quod major pars canonicorum facien- "dum concluserit; ubi verò solum exigunt *consilium*, satisfaciet, si canonicos con- "sulat, quin deindè ad eorumdem amplectendam sententiam ulla lege addicatur."

III. "Quinimò, addit B. XIV. ab ea ipsa petendi consilium Capituli obligatio- "ne solitus erit Episcopus per consuetudinem legitimè præscriptam." Porro constat apud nos vigere a longo tempore hanc consuetudinem, ut non teneantur Episcopi expetere consilium canonicorum circa statuta a se edenda, nisi in quibusdam casibus; quod sic explicat Bergier (Dictionn. art. Chapitre). "Selon l'usage pré- "sent du royaume, les évêques sont en possession d'exercer seuls, et sans la par- "ticipation de leurs Chapitres, les fonctions de la juridiction volontaire et conten- "tieuse, comme de faire des statuts et règlements pour la discipline; ils ne sont "obligés de requérir le consentement de leur Chapitre, que pour ce qui concerne "l'intérêt commun ou particulier du Chapitre, comme lorsq'il s'agit d'aliéner le "temporel.... et autres choses semblables, qui intéressent singulièrement le Chapi- "tre en corps, ou chaque chanoine en particulier. Il est d'usage dans ces cas que "l'évêque concerte ses mandaments avec le Chapitre, et qu'il y fasse mention que "c'est après en avoir conféré avec ses vénérables frères les doyen, chanoines et "Chapitre (1)." Vide etiam Confér. d'Ang. *Synodes* p. 247. Mémoires du clergé, t. XIV. Durand. *Dict. du Droit. Can.* art. *Synodes*. Quin etiam, inter casus ab istis auctoribus enumeratos, hodie plures possent controverti.

§ VII.

AN APPROBATIO SUMMI PONTIFICIS REQUIRATUR PRO STATUTIS EPISCOPORUM?

Quod autem dixerunt quidam canonistæ constitutiones synodales Romam esse mittendas, ut approbentur a Congregatione concilii, in Galliis est inusitatum, imò id a Bened. XIV refellitur, quia ut idem Pontifex observat post Suaresium, "si Jus commune spectemus, liberam habet Episcopus facultatem ferendi ac pro- "mulgandi leges quas oportunas duxerit, independenter a superioris confirma- "tione." (de Synodo, lib. XIII, c. 4).

(1) Eadem consuetudo viget in omnibus Ecclesiæ mexicanæ cathedralibus.
TOM. I.